



## LIBER II.

ASTREÆ DESCENSUS  
in Terras.

AD CLEMENTEM IX.

P. O. M.

Cum sub ipsius auspiciis, Anno  
M. DC. LXVIII. Hispania, Gallia,  
Lusitaniaque inter mutuae Pacis am-  
plexus conquievissent.

## ODE I.

**U**T sepulrali redivivus igni  
Ales attritam recoquit senectam,  
Purpuram plumis, medicâque nactus  
Clade juventam,  
Sic suum turpi renovatur ævo  
Labe depulsâ decus. Execrati  
Haetenus ferri senuere longis  
Secula rugis.  
Pota Mavortem coluit rubigo,  
Dum Tagum Boëtis, Rhodanusque magnum  
Allatrat Scaldim, trepidisque pallet  
Sequana ripis.

At

At simul CLEMENS Latiâ revinxit  
 Infulâ crinem , pluvialis auri  
 Omen arrisit , quod ahena fregit  
 Pila Gradivi.

Vila , nec mendax fuit auspicato  
 Iris occursu cecinisse Pacem ,  
 Cum recurvasset prope Vaticanos  
 Brachia clivos.

Iris ASTRÆÆ , reducique legum  
 Esse do stravit per inane septos  
 Floribus calles , liquidisque picta au-  
 lœa pyropis.

Iris in torras viridi sereno  
 Lucis invexit locupletiores  
 Spes Amaltheæ , gemino foventis  
 Ubere nectar.

Sponte submissis dominata campis  
 Faustitas flavam Cereris procellam  
 Fudit , Hispanis solidum daturam  
 Falcibus aurum.

Hinc , & hinc pronis tumuere botris  
 Textiles ulmi : Bromijque crater  
 E Pyreneis trepidare jussit  
 Vina pruinis:

Nuper invidit querulus Leoni  
 Belgico Samson : vomit ille passim  
 E soporato potioris Hyblæ  
 Flumen hiatu.

Gaudet irarum posuisse molem  
 Gallus , & segnis galeæ veterno,

Perque thoracum viruisse laxas  
Lilia squamas.

Ales Hispani Jovis efferatum  
Ausa Bellonæ rapuisse fulmen,  
Fulmen in gemmas, roseosque circum-  
fudit in imbræ.

Ferreis latè redimitus armis,  
Penè captivo Tagus ibat alveo,  
Nunc Midæ trudit liquidum coruscæ

Fulgor ab urnâ  
Iridem dudum coluisse tellus  
Visa subsultat, Latijque nutu  
Præsidis gaudet sibi lapsa fulvo  
Secla metallo.

Vidimus Iani renuentis umbram.  
Nuper obstructas adamante valvas.  
Hinc licet major fueris Quirino  
Cælare, CLEMENS.

Attamen parvam foribus precamur  
Annuas rimam: violanda Thracum  
Sceptra Gradivo, triplicique submit-  
tenda Tiaræ.

Bosphori fletus, genialis esset  
Risus ASTRÆÆ quatientis hastam  
In cicatrices, & inulta Thressæ  
Cornua Phœbes.



SEMI-

## SEMILUNARIS ALUTA,

PATRICIAE NOBILITATIS  
INSIGNE,

è Romanorum calceis

*Christianorum Equitum pedibus affigen-  
da, quod NOBILITATEM ipsam  
proculcando augustiorem  
reddant.*

## AD EQUITES SICULOS.

## ODE II.

EST & Sicanæ Thracia vis Iyræ,  
Blandusque magnes. Nuper ad Albulam  
Longum coronaris soporem

Manibus, Ausoniisque noctem  
Fregi sepulcris : nec vetuit Charon  
Umbras choreis frangere tibias,

Gressuque Lunato secures,  
Et trabeas, lituosque, & atris

Augusta ceris stemmata spendidum  
Calcare ; donec pulveris aridum

Offendit attritum profani  
Materies opulenta fastus.

Ducebat agmen suetus ab hispidis  
Serranus agris sarcula Romulis

Inferre sceptris, & pusillo  
Fabricij, Curiique censu;

Comæque luxus impatiens Cato,  
 Et implicatis plurima brachiis  
     Retro sequebatur Quiritum  
     E tumulo rediviva pubes.  
 Tum quisque suras flexit Ionici  
 Ad jura lusus : nunc placido prius  
     Elatus iactu ; mox rotatu  
     Turbineo quatefecit Euros  
 Sublimè raptus. non refugum pedem  
 Sic flexuoso circinat alveo  
     Mæander, obliquatque sese in  
     Artifices labyrinthus angues.  
 Sed contitato forte redux equo  
 Solvit choream Phosphorus. Ilicer  
     Hinc, & fugaces inde tristem  
     In nebulam rediere Manes.  
 Vertigo præceps, & trepidus pavor  
 Diffibulatas dempsit Equestribus  
     Lunas cothurnis, quas Sicanis  
     Ausonio laqueare nexus  
 Fas est Alutis. Nunc mihi strenuas  
 Nudate plantas : novimus inclytos  
     Munire gressus, & togati  
     Sanguinis emeruisse cultum.  
 Primum solutis crinibus Atticam  
 Veto cicadam. Pluma superbiam  
     Instillat Heroum cerebro,  
     Et volucres sine lege curas.  
 Quid distat Iro Laomedontius  
 Neps, avitæ ni sit adoræ

SIN.

Sincerus hæres ? Nilus Afrum  
Cū fatuo vehat amne limum,  
Inauspicatam celat originem.  
Pudetque flavis è Libani cedris  
Amnem Palestinum rotari  
In piceas putre funus undas.  
Ni mens honesti sedula proluat  
Illime pectus ; nec Tagus aureâ  
Illusus urnâ , nec liquenti in-  
fusa Tyros decorabit ostro.  
Venis ad ultum splendidius latet,  
Et lucet aurum. Dalmatico ferax  
Tellus metallo , spernit alta;  
Frondis opes , viridemque fastum.  
Nunc heu propago mollior occupat  
Plausus avorum , & Patriciam fidem  
Mentitur imbelli pharetrâ  
Nominis , aucupioque laudum.  
Fuliginosa cur proceres tument  
Prisci saginâ sanguinis : altius  
Suspendit in palmis volatum  
Niliaco sata pluma Cœlo.  
Bombyx inempto se pretiosius  
Involvit auro ; magnificentius  
Examen Hyblæum coronat  
Dædalæis sua castra ceris.  
Non æra patrum fuinea lucidas  
Torquent favillas. Spretus honos flagrat,  
Ut picta caligantiores  
Per nebulas rotat Iris ignes.

Vestigiorum summa tegit leo  
 Caudæ flagello. Novit & indoles  
 Virtutis occultare regum  
 Sceptra atavūm , proavūmque fasces.  
 Ultro obruentem semina Gloriæ  
 Fœcunda laudum germina detegunt.  
 Quin ipsa neglectu decora  
 Nobilitas ad inhospitalem  
 Obliviosis fluctibus insulam  
 Impellet. Astris nonne premet rotas,  
 Qui discet augustis bicornem  
 Sub pedibus cohibere LUNAM?

---

## ZENONIS NAUFRAGIUM.

*Sive,*  
 Ex adversis rebus orta plerumque  
 felicitas.

## AD CANDIDUM MOSELLAM.

## ODE III.

**L**ydi fluminis aureo  
 Sortitus gravidam pulvere clepsydra  
 Fuscos jure vetro dies  
 Metiri lacrymis. Sæpius integras  
 Fert Sol occiduum faces,  
 Auroram solitus mergere nubilo.  
 Cur sœvire diu putem  
 Fortunæ decilem ludere dexteram?

**Quæ** prosternit humi manus,  
Hæc plumis eadem suppositis fovet.

Nos adversa volubiles

In sublime vocant. Haud tenui lucro  
Apponas graviter premi,  
Volvique ambiguis, CANDIDE, casibus.

Fulvo nectare spumeas  
Calcatus numerat Lesbius amphoras.

Mucro fortis Achillei

Fatum triste rotat : dum tamén infodit,  
Rimaturque chalybs jecut ;  
Fert fossis medicam cuspis opem fibris.

Inter vulnera stipitum

Largis sectus Arabs rorat odoribus.  
Haud solvisset in aureos

Pyrene latices viscera ; ni suus

Combustâ nemorum comâ  
Deflagrasset apex. Sarcula sæpius

Abstrusas referant opes,

Quæ Zonam jugulo compositam secent.  
Cum fulmen Mithridaticas

In cunas cecidit , purpuream puer  
Stellarum trabeam ratus

Vagitu pluviis annuit ignibus.

Fortunæ violentior

Deterret timidam bruma propaginem.  
Sed magnis eadem viris

Vernas è medio trudit opes gelu.

Dum bacchatur atrocius

Nili diluvies , & liquidâ tegit

80 LYRICORUM

Tempestate Phaton , Ceres  
Spem Pelusiacis duplicat horreis.  
Lævum ne reputes , pati  
Quod possis. Locuples fit patientia  
Faustæ semen adoreæ.  
Idem , qui cruciat , casus eburneis.  
Mox te circumaget rotis  
Intactum carie. Romulus Ilio  
Phœnix exiliit rogo ,  
Et fractâ pavidus ZENO liburnicâ,  
Post discrimina Doridos ,  
Sublimem petiit Palladis exedram.

---

L A P I S L Y D I U S  
A M I C I T I A E.

*sive,*

Fides in adversis rebus.

A D T H E S E U M R U F U M.

O D E IV.

T Heseu , Pirithoos non facile est nosse  
negotium ,  
Dum fortuna tuam sponte Tagum vertit in  
hydriam.  
Explorat socios fulmineâ nube ruens lapis ,  
Qui cum stravit humi divitias , proruit  
Attalum ,

*Exæ-*

Exæquatq; Codro, tum piceum theta sodalibus  
 Figit pauperies : multa licet Lælius intoner,  
 Extollatque fidem, non epulas inter adulteram;  
 Sed quæ virgineâ fronte sibi concolor, ad minas  
 Fatorumque vices impavidam fulciat infulam.  
 Ne fide obsequiis. Coccineæ non solidus togæ  
 Ancillatur amor ; cum lacera est purpura,  
 deficit.

Hanc vocem, comites ò animæ dimidium meæ,  
 Eniti metuas, donec opem rebus in asperis  
 Ultro sufficient, & panacem vulneribus pre-  
 mant;

Teque auro, luteus cum jaceas, si licet, obliniant.  
 Ex his forte novum si Pyladē naætus eris, potes  
 Jam certè melius, quam clypeo sospite  
 Mytili,

Evitare solo turbineæ tela phalaricæ,  
 Evitare fallo cœruleæ fata ferociæ.

SACRA ECHENEIS,  
 Irrequietis Avaritiæ votis affigenda,  
 in gratiam D. ANTONII PARISHI,  
 Equitis Leontini.

## ODE V.

**L**ucidas cœlo spatiata Doris  
 Cum premat squamas, vitroisque fluctus;  
 Poscimus, si qua est ECHENEIS, ut de-  
 scendat ab astris.

Cur enim Graiam cohibere dorso  
Debeat pinum? Vehit illa celtas  
Siderum merces, nec inauspicatis  
Vapulat undis.

Rectius sister locupletiorum  
Alitem proram. Secat hæc profani  
Gurgitem Nerei male dedolatis  
Texta cupressis.

Transtra suspendit metus: ægritudo  
Mentis inflecti facilem carinam  
Curvat: antennis sedet, & relaxat  
Carbasa liyor.

Excubat clavo sipientis aurum  
Tantali pallor. Cynosura nautis  
Fit Midæ votum, geminusque Crœs  
Lamina Pollux.

Serici frustra vetuere funes,  
Et recurvato ex adamante morsus  
Hanc procellosis dare fessa lymphis  
Rostra liburnam.

Omne Neptuni irrequieta marmor  
Sulcat, in curas hyemante flabro  
Navigaturis sitis ipsa nandi  
Sufficit Euros.

Remigum quisquis pelago jacentes  
Insulas vellēt fruticare gemmis,  
Et graves auro cubuisse circum  
Prothea phocas.

Bosphoro vellēt sociare Thulen:  
Vellēt Hispanis dare rastra campis;

Et Canopeis sua possè mergi  
Vellera spumis.

Quidquid aut fucat pretiosa Sidon;  
Aut acu illudit Phrygiā Sicanus  
Artifex ; quidquid fluit è Sabeo  
Cortice , poscit.

Tot tamen partis tumefactus hydrops  
Rebus inflatur magis : irreptas  
Trans Atlanteum pelagus laborat  
Verrere gazas.

Acrior sic est rabies favillæ,  
Teda quò major. Violenta sic est  
Unda , quam trudit populante sylvas  
Vortice torrens.

Interim , ne quid vitij , probrique  
Huic rati desit ; simulare novit  
Monstra Vertumni rapientis omnes  
Ore figuræ.

Namque fit centum religatus hamis  
Harpago , quærit quoties tabernis  
Pauperum merces , & avita regum  
Pocula mensis.

Serpit urbanis ut hirudo ripis,  
Civium incautis nocitura venis;  
Donec emungat rutilum tenaci  
Dente cruentem.

Nunc inhorrescit rubus , ambulantis  
Penulæ prædo , trabeaque terror :  
Ipsa vicinas malè tutæ velat  
Carbasus aras.

Nunc , relaxatis ut echinus asper  
Spiculis turget , veteresque notâ  
Sede cultores fugat, inde milvi

Concipit unguis ,  
Ne diu viisi inhibet crumenis.  
Crederes auri violentiorem  
Esse magnetem , nisi forte ferreos

Ferret amores.

Sæpe nocturnus per opaca lunæ  
Damna fit bubo , laniatque somnos.  
Divitum densis vigilata mœrent  
Stragula curis.

Sæpe Phineam simulat Celæno  
Inquinaturam dubiis onustam  
Lancibus cœnam : licet hæc acerves  
Ostrea nullis.

Et sacri lactes , aviumque pictas  
Fulciat guttas. Flet ad imminentes  
Luxus ærumnas ; bibiturque poto  
Fletus Iaccho.

Plura ne poscas. Fit atrox satelles  
Æaci , qui jam jugulo propinet  
Euclioneo liquefacta fulvæ  
Fulgura mastæ;

Aut paret votis opulentiorum  
Sericam filo bicolore restim;  
Invido postquam malesuada læsit  
Luera flagello.

Heu putrem sensit tineam supellex ,  
Seque devolvit fugiens ad imos

Plutus hæredes ; & adhuc opum spes  
 Provocat undas ?  
 Fata nil terrent , & Apelio :  
 Contumax labrum ? pavidumne pinus  
 Belluis credet latus , & profanis  
 Lina Maleis ?  
 Remigum frustra cupidam latramus  
 Indolem : stellis nisi lapsa sit vis ,  
 Quæ ratem fistat , peritura se se  
 Merget in auro.

---

**CONCENTUS DORICUS**  
 è Fortitudinis palæstra Heroicis  
 Viris accersitus.

Hoc est ,

Consona Factis Oratio.

**O D E VI.**

Postquam trifaucis colla ferociæ ,  
 Torvosque rictus vinxit aheneis  
 Oetæus Alcides catenis ,  
 Elysia cubiturus umbrâ ,  
 Sensit solutis populeam comis  
 Repissæ frondem , sponte sequacibus  
 In ferta ramis ; & inigrantem  
 In citharæ simulacra Clavam .

D 7

Quam

Quam dum recenti flamine percitus  
Laborioso pollice verberat;  
Hæc inter Heroum propinquas  
Commemorant cecinisse turmas.  
Depone magni verba supercilii  
Mentita larvas, quisquis in arduos  
Luctaris astrorum penates,  
Et minui metuente plumâ  
Vicina pulsas limina Gloriæ.  
Odit loquaces illa monedula,  
Odit cicadas, & strepentes  
Artifici sine lege ranas.  
Sit lingua dextræ concolor; aut labris  
Imponat æquum lora silentium:  
Ne nimis imbelli cothurno  
Romuleâ videare scenâ.  
Libram fatigent verba. Loqui rosas  
Datur puellis, Non steriles amat  
Bellona plausus. Vox Minervæ est  
Terrificam violare Phlegram.  
Sat fatur ensis. Sat clypeo dedit  
Virtus loquela, Si generosius  
Lauru coronabis pharetram;  
Sat pharetrâ tonuere latides.  
Haud se Gradiwo devovet impiger  
Miles decoræ cultor adorex,  
Qui pila contorquet palato  
Compositis phalerata nugis  
Dum pulsat hastis nubila, spumeis  
Fervore bullis Lysimachum feram.

Nostrum est triumphales timendis  
Viribus emeruisse palmas.  
Non hæc retortis Clava decentius  
In fila nodis serperet in Lyram;  
Ni bella cygnis, ni tulisset  
Raucisonis per opaca sylvæ  
Cladem cicadis; mox Erymanthios  
Fœdasset apros, & Scythico è sinu  
Torquata vellisset puellæ  
Balthea, Threjiciamque peltam.  
Defuncta magnis tela periculis  
Siculosis auribus Atticum  
Federe carmen. Pallas egit  
In citharae modulamen hastam.  
Et jam canora hæc dulcè tonat chelys,  
Quæ fregit olim truncus Ibericum  
Triformis hæredem Chimæræ  
Geryonem, æripedemque cervam.  
Adhuc triceno vulnere saucias  
Suspedit hydras Lerna: meis adhuc  
Pulchrum Cleonæ leonis  
Spirat in exuviis trophæum  
Incisa Calpe muta loquacibus  
Fert monstra saxis. Jamque perennibes  
Patet columnis, quod viator  
Attonito legat ore, carmen.  
Vir ille, non qui turpè latraverit,  
Umbrasque vano terruerit metu:  
Sed quisquis expugnat lacertis  
Cerbereas animosus iras.

Hæc

Hæc feriatus dum canit Hercules;  
 Luxere manes : ter Phlegeton suam  
 Succusit urnam , terque centum  
 Edomitis fremuere spiris.

Portenta Lethes , Tum , coëuntibus  
 In astra nervis , Barbitos igneam  
 Trajicit Orionis aulam ,  
 Digna sacris fluitare valvis.

## TABULA NAVIGATIONIS

Aulicis Principum Ephebis  
 objecta.

Vatis donum

MARCELLINO FLORO puerο , in  
 Hispaniam Navigaturo.

## ODE VII.

**N**E desideriis merge , precor , ratem ,  
 Cui te cumque Noto credis ab Himerā ,  
 MARCELLINE , remotam  
 Trajecturus Iberiam.

Post Tusci rabiem , postque Ligustici  
 Mæandros pelagi , deterius latrat  
 Sulcandum maris æquor ,  
 Aulæ fluctibus hispidum.

Illic sollicito flamine Gloriæ  
 Quisquis patricias flectit ad insulas  
 Pictâ mole Chimæram ,  
 Majorum spoliis gravem ;

Catu-

Cautus permetuat triste, quod imminet  
Votis, naufragium. Quippe minacibus

Obluctantur in auras

Regum tecta Cerauniis.

Anceps ante fores Bosphorus huc vagâ,  
Atque illuc refluâ Doride, sospitem

Ripâ ducere somnum

Fortunæ vetat anchoram.

Hærebit tamen hæc margine littoris,  
Fulvo si scopulum dente momorderit.

Sed jejuna Charybdis

Hunc siccis inhiat labris,

In portu miseris nulla datur quies.  
Fit spumosa palus major Atlantico

Quæ spirabat amica

Lassis otia linteis

Fatalis statio. Trans Abylæ juga, &  
Calpen oceano credere tutius

Magellanica pinus

Mallet turrigerum latus.

Non, si Grajus honos trudat Jasonem,  
Argoamque vigil Tiphys agat ratem,

His prædariet undis

Flavum cogeret arietem.

Ergo quot Libycis syrtibus asperet,  
Euripiisque Thetin, quotque remugiat

Crebris Aula Caphareis

Hac tradam minimè rudit

Nauclerus tabulâ : quò pateat tuis  
Oblatum pelagus nobile palpebris ;

Et discrimina parvis  
His hærentia paginis.

MARCELLINE, viden circuitum, & prope  
Immensam huic Thetidi serpere fasciam,  
Longi more draconis

Curvantis volucres hydras?  
Sunt hîc Hesperidum mala ; sed undique  
Circumfusa scatet ripa periculis,  
Quæ formidine captos

Arcent littore navitas.

Vix prospectat humum qui sibi suaserit,  
Jam firmasse rudi fune liburnicam.

Tunc impune quiescit,  
Cùm semper bene navigat.  
Hâc ne præter eas : torvus ad hospitias  
Invitat Strophades livor, ubi suâ  
Semet cuspide, & ungui  
Phineæ feriunt aves.

Postquam degeneres dux Telamonius  
Admisit furias, quod sibi callidus  
Præferretur Ulysses,

Pavit pectore milvium.

Illinc dexter abi ; læva veneficam  
Circen saxa tenent. Ni Veneris dolo  
Propinata recusæ

Blandimenta libidinum;

Jam jam, nulla mora est, bellua squameis  
Evades humeris ; aut Calydoniis

Hirsutissima setis,

Mox volvenda luto pecus.

## LIBER II.

91

Proh quot monstra fremunt ! Sed paveas magis  
Vocalem Paphiâ fraude malaciam ,

Et dulcedine cantus

Ductus in thiasum feras.

Hic ipsa in scopulis tetrica frons placet ,  
Et ridet mediis spuma corallii;

Quam festiva Voluptas

Picto trajicit alveo.

Cunctandum hic nihil est . ocyus , ocyus  
Subducenda celox : nec satis auribus

Excludas modulamen ,

Et spectacula palpebris.

Quin utraque manu ferica torqueas ,

Ut Laërtiadē Parthenium decet ,

Calti vincula Amoris ;

Queis , ne te rapiat Cypris ,

Nectas Virgineis Brachia carbasis .

Multis exitium suasit , & intulit

Quæ pellax prope cunctos

Siren perdidit Aulicos .

Hic fluctus metuas . spumea candidum

Cogit nare gregem Curia , quâ fretum

Vulgi vapulat undâ

Venalisque superbiae

Curis lympha tonat . Si sapis , integrō

Fallas remigio pervigil Ambitum .

Cur indebita poscas ,

Quæ virtus vetuit tuis

Metiri cubitis ? Alba Quiritium

Fuscatur piccis sæpe coloribus .

Ec

Et plerumque cruentis  
Turpatur maculis toga.  
Syrtes, & brevia hæc navita callidus  
Vitabis, quoties fugeris improbi  
Catus otia. vix te  
Visi fulgura Castoris  
Reddent incolumem, si malè fregeris  
Aut lenociniis mollibus indolem,  
Aut impegeris altum  
Argivi genus Inachi  
In turpes Maleas dedecorum. Viden,  
Ut suffulta latus Scylla calumniis,  
Cuique infligat in horas  
Magno vulnera nomini?  
Nolis plura. Comes te prope regium  
Littus sister Honos, si venerabilem  
In Virtutis arenam  
Fessam duxeris anchoram.  
Id tantum moneo: sis memor Aulicum  
Furari in mediis Protea fluctibus.  
Hic stradebit ad omnem  
Temet fingere malleum.  
Sic molle ingenium gesferis ad novam  
Regnantis faciem; lenis ut aspero,  
Pacatusque furenti, &  
Venâ divitis eloqui  
Occuras hilari, lenè fluentibus  
Ad libram salibus. Sed temerarium  
Obtrudas cave palpum.  
Assentatio cereis

Figens magniloquum nectar in auribus.  
Semet vulnificis læsit aculeis.

Heu fraus Dædala vocis

Plures prodidit Icaros.

At cur muta silent barbita? Nauticam,  
Proh mirum! TABULAM conspicor altius

Evasisse per auras,

Dum quærerit rutilam ratem.

Felix auspiciū suadet, ut æmulo  
MARCELLINE, dolos inter, & horridum

Spumis Nerea, supplex

Obtutu ferias polum.

Si clavum Pieras flectat, & in Deum  
Inconcussa fides; tutus Iberico

Sistes littore ditem

Laudum merce liburnicam.

## ENTHUSIASMUS PARTHENIUS,

Ob exulem è terris pudicitiam.

### ODE VIII.

Incesta sacrum secula, secula  
Audite Vatem. Non ego nobilis  
Cultor Palæstini recessus

Mollè canam, crotaloque castas

Tra-

Tradam querelas. Deucalion prope est  
Mersurus orbem. Quid Cythereios  
Castigat ignes, ut profanis  
Alluvies rediviva terris?  
Quacunque serpent lumina, Cypræ  
Vectigal Ætnæ solvitur. innocens  
Imago rerum decolorēt  
Cogitūt erubuisse scenam.  
Ementiuntur sidera pellices.  
Jovisque tædas, Ut niteat suo  
Rapina Baccho, miscet astris  
Gnossiacos Ariadna crines,  
Libido singit Numina Mihiis,  
Quò nuptiarum monstra pati queant,  
Non uda crystallus placebet,  
Ni Paphiis foret usta flammis.  
Arridet imber, qui Danaen riget  
Auri procellā. vel trifidi juvant,  
Quos torquet ignes suetus ales  
Iliacam rapuisse prædam.  
Umbram sopori populus explicat  
Complexa vitem, quæque suum nequit  
Incisa Phyllis litteratis  
Corticibus simulare vulnus.  
Furata sculptum gemma Cupidinem  
Opima mensis fercula sustinet;  
Perque erubescendos culullus  
Vina docet fluitare lusus.  
Fastigiatis sæpe palatiis  
Impune frontem nuda tegit Dryas;

Pinnæque designant sagittas,  
Quæ Gnidiam peperere cladem.  
Quo fertur audax Pegasus intimas  
Visurus ædes; gaudet oleribus  
Pictis lacunar, & salaces  
Fabra fovent asarota Faunos.  
Aulæa Siren plurima spumeo  
Succedit ostro, quæ male providis  
Latenter inspirare possit  
Luminibus furiale virus.  
Quovis superbi parietis angulo  
Crystallus hæret pensilis, ut suam  
Puella pugnax in comarum  
Cæfariem calamistra vibret;  
Fulvisque nodet fluctibus aurea  
Coralliorum retia; vel Pharon  
Struat pyropis, quò capillus  
Idalios jaculetur ignes.  
Laboriosæ, quod superest, manus  
Frontem nivoso fulgure collinunt,  
Genisque ceruслam, & rubentem  
Ad speculum cubitale figunt  
Spumam metalli. Displicet innocens,  
Simplexque vultus area, liliis  
Datura vectigal; rosarum  
Ni sterili fruticaret auro,  
Cur nuda mulcet dextera psittacum,  
Si delicatæ Cypridis exprimat  
Nomenque, natumque; & reclines  
Ad sonitum remoretur aures?

Cur

Cur impudicam balbus adhuc puer  
 Canit Corinnam ! cur teneras rudit  
 Firmare plantas , scit choream  
 Ad Paphias agitare buxos ;  
 Heu visa pronam Cyrtha superbiam  
 Curvasse Cypro ! fumea flammis  
 It Pimpla rivis , & pudicam  
 Bellerophon vitiavit urnam .  
 Quid non prophanum spirat adulteris  
 Excusa prælis pagina , quam fleat  
 Turpata Pallas , & protervo  
 Castus amor jugulatus ungui ?  
 Nunc veltra , Divi , flumina flagitat  
 Pollutus orbis . solvite cardines ;  
 Nimbisque , laxatisque ponti  
 Marginibus tumulate terras .

## AD BOMBYCEM.

## ODE IX.

**P**Hœnix Sicanus frondeo cubans toro ,  
 Sospite perpetuam  
 Nactus juventam semine ,  
 Seu fabræ rostro metiente dividis  
 Fila datura togis ,  
 Regumque zonis purpuram ;  
 Seu forte tanquam sericæ prædæ reus  
 Vincula fulva trahis ,  
 Fulvumque rodis carcerem ;

Car-

**C**arpes soporem byssiaum , & Mori comâ  
Pensile funus eris ;

Idemque lethi pharmacum.  
Mox tutus innocentâ , è vincis petes  
Versicolore fugâ

Pusillus ales nubila.

**O** detur hujus exitu fati , meum  
Frangere posse putrem

Pellis caducæ corticem !

**U**t , cùm daturus ultimam sim fabulam,  
Stirps rediviva rogo  
Sublime fustolli queam.

## NEPENTHES HOMERICUM.

*Sive,*

Rerum Cælestium Meditatio,  
Ad abolendum animi mœrorem effi-  
cax Amuletum.

## AD PANTALEONEM NUMAM.

### O D E X.

**H**umanis, N U M A , gaudiis  
Styx infusa latet. Vix Gilimerio  
Pulsanti digitis lyram

Tersit decidua spongia lacrymas.  
Fœcundus dolor est sui,

Nec pelli facilis. Gliscit acerbius  
E Quam

## 98 LYRICORUM

Quām sulphur Siculi specus,  
 Quo pascit tumidos Mulciber halitus.  
 Quo te cumque vagum feras,  
 Perlustrare domum crede Trophonij:  
 Sic tam foeta malis humus,  
 Et quidquid tereti concipitur globo  
 Nunquam nubis inops fuit,  
 Aut non flenda dies, si piceo velis  
 Nosci tristia calculo;  
 Index mœstitiæ deficiet lapis.  
 Nequicquam cupidum latus  
 Compones vitrei margine Mineij,  
 Venaturus imaginem  
 Fraudantis querulæ pabula naniæ.  
 Indignata ferocius  
 Sopitam repetet cura proterviam.  
 Hæc inter Pharias, velut  
 Affixus Tityo vultur, amyctides  
 Rostrum merget, & uvidam  
 Arcano feriet felle licentiam.  
 Nusquam lætus eris; licet  
 Quò te vota ferant, lina retorquesas  
 Dextro pulsa Favonio;  
 Si radant luteas vela crepidines.  
 Divellenda solo ratis,  
 Quæ clavum superas flectat ad insulas.  
 Sic tellus minor, & minor  
 In puncto tenuem nec refugam mori  
 Scenam diminuet sui,  
 Et secum fatui materiem mali.

JAM

Jam quis tunc fleet abditas  
 Ærumnas atomo , nec potius velit  
 Imis transfuga sedibus  
 Stellatis tabulam figere postibus ?  
 Illuc trude liburnicam  
 Mentis PANTALEON , nauta frequens tue .  
 Æternis procul exulant  
 Mœroris tetrici nubila finibus .  
 Aures hoc age : senties  
 Quàm lætis reboent astra celestis matis .

---

## EXCUBIÆ TUTELARES FLORIBUS , SPINÆ.

AD P. MARCELLUM SPINELLUM,  
 Neapolitanæ , & bis Siculæ Pro-  
 vinciaæ Societatis JESU  
 Præpositum.

### O D E XI.

**A**ßonum credam , coëunte sylvâ ,  
 Quod RUBUS fulvis trabeatus hamis  
 Fulserit pulchros per opaca ruris  
 Pignora fasces ?  
 Nulla Phæaco cumularet auro  
 Gleba Pomonam , nemus omne vallo  
 Ni premant Sentes , dominâque pellant  
 Fronte rapinas .

Forsan Autumnus didicit magistro  
Vere, quò tutus foret, è propinquis  
Hinc, & hinc dumis sibi sospitalem  
Ferre coronam.

Verna Pæstanis sua regna Chloris  
Circuit telis, viridique fastu  
Veprium FLORES, quibus ipsa gaudet  
Sternere cunas.

Inde nativum decus, & sequacem  
Illa tutelam rapit; inde cultis  
Sufficit vires, tenerique risus  
Oscula pratis.

Ergo quid majus, potiusve nostra hæc  
Hibla LOJOLÆ sibi flagitaret;  
Quàm tuam, MARCELLE, sacram decorâ  
Cuspide SPINAM?

Illa Sebethi pretiosiorem  
Hausit argento calatum, rubentis  
Spiculi fovit radios aviti  
Germinis ostro.

Mox, ut augustis adolevit aris  
Dives IGNATÌ facula, Stagiræ  
Frondeum sepsit nemus, & Quirinæ  
Rura Minervæ.

Quin Palæstinæ Themidis secundos  
Ausa jampridem revocare plausus,  
Æqua Campanis, Siculisque sanxit  
Jura viretis.

Hinc odoratâ toties loquellâ  
Te suis magnum patefecit arvis

Flora munimen , Sicanisque desti-  
nata Rosetis

Scripsit hæc. Posthac Tribulos feræces  
Educent campi : vitio carebunt  
Hisce si fundat similes agrorum

Copia Vepres.

Veris Hyblæi seges , & comatis  
Faustitas latè dominata sulcis  
Sub RUBI signo viret , & Sabæum

Trudit Aprilem.

Ille demissum violis honorem  
Protegit ; canum tegumen ligustris,  
Et verecundum roseo pudorem

Exigit auro.

Ad salutares Clytien favillas  
Imperat vergi , tumuloque suadet  
Flere narcissos , viridemque Cœlo at-  
tollier irim.

Mitis occursu , facilisque tangi  
SPINA MARCELLI est. Hilarat vel ipse  
Vulneris morsus , teretique trudit

Cuspide gemmas.

Censeas stellæ radium serenis  
Fervidum curis , animæque magnæ  
Divitem : sic tam vigil in tuendis  
Excubat hortis.

Floreum passim locupletiore  
Fudimus venâ Zephiris tributum :  
SPINEUM postquam subiit capillis  
Hybla tiaram.

Hæc ubi vernâ perarasse fertur  
 Paginâ Chloris ; dederunt decentes  
 Gratiae lustris volitare pictis  
 FLORE quadrigis.

---

## ORPHEI SUDOR,

*Sive,*  
 Laboris Commendatio.

AD ALEXANDRUM CORDUBAM.

ODE XII.

FRACTURUS olim CORDUBA , Persidos  
 Aulæ tiaram , cum strueret suam  
 Pellæus Alcides phalangem ,  
 Fama tulit maduisse largo  
 Sculptam lyristæ Thracis imaginem  
 Sudoris imbri : prodigialiter  
 Suadente mox plectro , laborum  
 Frugiferam cecinisse gazam .  
 Non parva jactat semina Gloriæ  
 Laboriosi sportula villici .  
 Dumos revellenti latenter  
 Per digitos micuere flores .  
 Negat virentes , ni pedibus premas ,  
 Arena palmas : ni trifidam feras  
 Cono procellam , Martiales  
 Crista timet cohibere lautos .

Re-

Resecta lato vulnere tradidit  
Urenda pulchris ubera baltheis  
Peltata pubes. Ut cruentam  
Hostibus inferuere cladem,  
Faustas puellis Sauromatum parat  
Lucina tædas. Laus per inhospitas  
Luctatur ædes , perque summos  
Gaudet Honos equitare clivos.  
Oetæa duris clava laboribus  
Perfuncta , magnum reddidit Herculem;  
Anguemque suspendit coruscis,  
Et Nemees fera monstra valvis.  
Urbes aratrum signat , & oppidis  
Disponit arces. Colla boum jugo  
Plerumque qui solvir colonus,  
Imposuit grave pondus Orbi.  
Hinc in secures rastra superbunt,  
In sceptræ falces cedere : rusticus,  
Quandoque pero gloriatur  
Patriciam peperisse Lunam.  
Cui lambit imbræ pyramis , aut loquax  
Spirat metallum , ni tenebras vigil.  
Aut duxit ad Lychnum Cleanthis,  
Aut niveâ cataphractus irâ  
Sudavit , alsit , pulveream bibit  
Nubem Gradivi ? Sola dedit Venus  
Buxo fatigandam comarum  
Cæsariem , digitosque plectris.  
Affixa cunctis desidiam vetat  
Natura rebus. Præpete volvitur

Cælum rotatu : sed perennem  
 Ætherei modulamen axis  
 Mulcet laborem. Sistere nescius  
 Titam Phlegontem , provolat aureis  
 Ubique rerrarum quadrigis ,  
 Et creceo rigat arva nimbo.  
 Hinc Formianis Lesbios in jugis ,  
 Pomona lucis , flava Ceres agris ,  
 Et visa Corcyrae viretis  
 Flora suos geminare fastus.  
 Raptura vellus Colchiacum , vagis  
 Lustatur ilex Pelia fluctibus.  
 Vel ipsa defessam laborat  
 Lympha fugax agitare spumam.  
 Sicana fulvi nectaris artifex  
 Pererrat Hyblam. Non reficit pigrans  
 Annona formicam. Juvenci  
 Quas hilarant , secuere glebas.  
 Pronœa cultis pingue novalibus  
 Fœcundat uber : vel pluvium patet  
 Sudare Cælum , cum marito  
 Imbre graves locupletat agros.  
 Sic æmulatrix filia siderum  
 Virtus , coruscâ mole premit nives  
 Atlantis Afri ; donec uida  
 Fronte gemat generosa cervix.  
 Non omnis umbra gratia strenuas  
 Decet palestras ; sed coma populi ,  
 Quæ texit Alcidæ decoram  
 Cæsariem , madidosque vultus.

ORUM  
erenem  
en axis  
necius  
ovox autis  
igis,  
nimbo.  
jugis,  
agris,  
stus.  
vagis  
umam.  
gram  
bos.  
paet  
to  
agros.  
t nives  
tervix.  
enuas  
opuli,  
n vulus

LIBER II.

109

Callosa dextram Gloria mesquit  
Ubique palmas : atque eadem meo  
Inscriptis has leges metallo,  
Quo pluvio madefecit auro.

---

SEPULCHRUM  
BABYLONENSIMUM  
IN MELLE.

Ex Herodot. Lib. I.

Sive,

Ex hac vita piè , sancteque disce-  
dentium Voluptas.

AD FULVUM HERCULANUM.

O D E XIII.

HINC apage infusum vagitibus Atticā  
Platonis  
Avis pudicae Dædalum celeusma.  
Surgentis vitæ primordia vix adepta cunas,  
Fletus tributo plumbeam malorum  
Portendunt lustris properantibus imminere  
molem,  
Quam perimescat ferre Pœnus Atlas.  
Rectius occiduam Babylonius arbiter senectam  
Componit Hyblâ , purpurâque mellis:

È 5

Quam-

Quamvis post lucis dilapsa crepuscula auspi-  
catum

Nemo soporem , melleamque Lethen  
Libarit , nisi quem pietas generosior curuli  
Ad astra vexit effedo Tonantis.

Cur Divū tumulos, ut Isocratis excubat feretro,  
Soletur auro purpurata Siren?

His mulcēt somnos cōcentibus intonatus æther,  
Mirisque nubes saukīæ monaulis.

His jam cessis hyems, Boreasque furentior pro-  
pinquis

Attritus Austris funeravit iram.

Vernus ubique rosas tepor educat ; ebriusque  
flammis

Festinat imber fulgurum cachinnos  
Post nivæ volucris vestigia cernitis sequaces  
Pictis columbas evolare plumis?

Ut nimbos feriunt ! ut versicoloribus favillis  
Affine tollunt iridis monile !

Lactea trajiciunt confinia , provocantque  
magnum

Aulæa lucis hospitæ volatum  
At , sint visa licet rutilis juga succuri theatris,

Motique postes annuant recludi,  
Haud tamen aurifluâ venâ locupletior reliquo  
Deest feretro destinata merces.

Deciduis tumulum fulgoribus osculatur æther,  
Flexisque tellus liliis coronat.

Nec laceri satis est habuisse cadaveris sodales  
Plerumque rictus vindices ferarum :

Sæpius

Sæpius exectis opobalsama decidere venis;

Lactisque rivos diluit cruentum.

Ipsa Thetis Divum cineri glacialibus procellis

Erexit ædem, vitreumque culmen;

Quod Glaucus baccis, Panopea coralliis,

Palamon

Sepiret udâ succini favillâ.

Quæ non Cælitibus laus debita lacrymatur illis

Auroræ myrrhas, balsamique rotes:

Et liquidum, si flere potest tamen, excutie

Voluptas

E gaudiorum palpebris Hymettion.

Hæc animo recolas si sæpius, HERCULANE; dices,

Divis Hyblæum præbet URNA somnum.

## LILIUM CÆRULEUM,

Quod IRIDIS effigiem nativis colo-  
ribus in flore expressam habeat.

Ex Pier. Valer. Lib. 60.

## DIVINÆ MATRIS INFANTEM

DEUM UTERO GERENTIS

Symbolum.

## O D E X I V.

Diva, cùm septam per humum vepretis,  
Et fatigatos glacie novales

Pergeres BETHLEM, cohibente canis

Compede lymphas,

Perge, dicebam, mea cura: nam, sis

Cynthio quamvis radiata Nubes,

Et superfusum Gedeonis imbris

Divite vellus:

Inter albentes tamen ipsa glebas

Fulseras Vati niveum, quod IRIM

Claudat argento, teneraque floris

Casside, germen.

Nec quidem fallor: Solymæa ni me

Sponsa decepit, cecinisse quondam

Hæc tibi visa est, fore Liliorum

Sepibus. alvum

Rite vallatam, Cerealis instar

Aggeris; qui cum tetigit supremum

Areæ culmen, sibi poscit albo è

Vere coronam.

Ergo BETHLÆUM paritura NUMEN,

IRIN emittes. Amor hanc Tonantis

Infulæ pinxit similem, fabroque in

Flore bibentem

Solis æterni radios & ipsi

Intimam Soli. Feret illa terris.

Hospitam diuī domito Gradivi

Fulmine pacem;

Seque curvabit geminis in orbem

Florem fulcris: sociata donec

Ima sint summis, pateatque visâ hac

IRIDE Cœlum

NUN-

**NUNDINÆ SEPULCRALES,**

Calendis Novembbris , vergente  
in vesperam die ubique  
terrarum indictæ.

**AD LICINIUM PALMAM.****O D E X V.**

**N**ON Pelusiacâ merce decestius  
Ditesces , LICINI ; Niliacâ licet  
Stratus sub nebula faucibus aridis  
Fulvum rore bibas Jovem ,  
Quam gazâ nihili . nec labor est solo ,  
Scrutarive salo divitias Tuœ  
Thesauros fodies pulvere ; dum cinis  
Spectari pavidus latet ;  
Flaventemque Midam , & rutilas nives  
Natali tineâ contegit ; algidâ  
Nec se vellit humo , tristis ubi silet  
Longo fabula somnio .  
At , cum conciliis forte Novembribus  
Urgent funereas classica nundinas ,  
Depromuntur opes , lecta gregariis  
Vectigalia Manibus .

Præconis lituum præfica sufficit ,  
Emptoresque vocat . Stent feretris rogi ,  
Aggestæque pyris sandapilæ , & nigrâ  
Cupressus mutila comâ ,

## 110 LYRICORUM

Quævis umbra suos nuda supervolat  
 Collectos cineres, cratibus oscleis  
 Emergit macies, & putris aureo

Venalis pretio situs.

Pars vendit sterilis jurgia Porcii  
 Declamata foro : pars latiam chelyn  
 Oblitam tumidæ laudis, & inclytis

Vatum nubere laureis.

Pars corrosta ducum stemmata, splendidis  
 Quamvis picta notis. Pars titulos super,  
 Et regum trabeas vilia congerit

Instrumenta novalium.

Pars fulvi spolium pensile verticis,  
 Fati ludibrium gestat, & iliis  
 Dotalem colubrum, fœtaque marcidis

Pulvinaria vermbus.

Non hic spirat Arabs, nec Cilicum calet  
 Deflagrata seges : sed luteâ gravis  
 Qui perflatur odos merce, salubrius

Votis suppeditat lucrum.

Crœso major eris, si LICINI, sitas  
 Hic mercaris opes. Qui modo nundinis  
 Emptorem simulas, non sine fœnore

Cras vendes lacerum nihil.

\* \* \* \*

TUBUS

## TUBUS OPTICUS,

Quo Humanæ Felicitatis Maculas  
Auctor perscrutatur.

## AD POLLIONEM ADRIANUM.

## ODE XVI.

**A**biste tandem POLLIO, plumbeis  
Absite votis. eminus, eminus  
Humana cernuntur; nec unquam,  
Si proprius videantur, æque  
Ac sunt, videntur. Putris ad omnium  
Præstigiarum fulgura turpiter  
Caligat obtutus, sit ipso  
Vividior, potiorque Lynceo.  
Me si fefellit bræcea splendidae  
Felicitatis, non ideo rudem  
Offendet olim. sic Parenti  
Virgineæ, placitumque Divis.  
Illam corusco vidi ego Chosrois  
Micare Cœlo, & volvere Dædalum  
Altris choream: mox Sabæos  
Pro pluviâ glomerare nimboe?  
Fractisque passim nubibus auream  
Torquere dextrâ, nos sine gaudio,  
Plausuque terrarum, procellam;  
Et vitro dare jura mundo.

At

At vulsa postquam fragmine siderum  
 Tornavit æther, & posuit meis  
 Crystalla palpebris, eburno  
 Clauſa rubo, teretique gemmæ;  
 Proh quæ dolosæ ſcena ſuperbiae  
 Spectacula prompsit? tota perhorruir  
 Pupilla, fallaceimque rerum  
 Effigiem ſpeculata flevit.  
**Felix** in arctum machina carcerem,  
**Zona** in catenas, in pedicas faces,  
 Nubesque cefſerunt in atras  
 Triftitiæ horridioris umbras.  
 Ciliffa veras lacryma lacrymas  
 Oſtendit; ipſo fulmen aheneum  
 Erupit auro, quòd tonaret  
 In mediis Libitina gazis.  
 Cur aucupatur ſolis imaginem  
 Inauſpicato lumine Fauitas?  
 Proh quot profanæ fraudulentis  
 E radiis patuere labes!  
**Potentiorum POLLIO, POLLIO**  
 Ut pallet oſtrum! livor identidem  
 Mordet tiaras, & supremos  
 Regum apices, trabeasque vertit.  
 Inter decoras plurima fluctuat  
 Palmas cupreſſus. Gloria funebrem  
 Se prodit umbram, nunc virentem  
 Mox piceam explicitura frondem.  
 En versipellis quot maculas vitro  
 Pandit Voluptas! fulgurat aureis

Epo-

CORUS  
genitile fiducia  
solit meis  
eburno  
tique gemmæ;  
superbie  
perhorruit  
terum  
erit.  
arcorem,  
as faces,  
nas  
mbras,  
as  
un

## LIBER II.

113

Epota pcolis ; at retorquet  
In teneras aconita fibras.  
Cur me fatigat nil cupidum sui.  
Felicitatis fabula ? præpetes  
Abite fraudes ; hinc abite  
Patricio sata monstra limo.  
In astra tollor. Jam radiantium  
Meis patescunt luminibus fores,  
Valvæque stellarum. Licenter  
Hic oculos , animumque mergam.

---

## EPICEDION

PIIS MANIBUS P. PETRI SALERNI  
Societatis JESU ,

Rectoris olim Collegii Panormitanus,  
in anniversario die funeris  
emodulatum.

## O D E XVII.

I Ntermissa , diu quæ siluit , chelys ,  
Desuetusque meis Pegasus atrii :  
Quænam , PETRE , medullis  
Servem vulnera , detegunt .  
Leniri indocilis , nec satur est adhuc  
Depasci nebulam mœsticie dolor .  
Vel cum tristè madescit ,  
Mærorem pluvium fitit .

Hos

Hos inter gemitus , te mihi s̄epius  
 Objectas oculis non humilem p̄is  
 Septam Manibus Umbtam.

Quæ fuliginis horreat  
 Fuscarij maculâ : spirat amabilem .  
 Ceu quondam , placidis lœtitiam genis ,  
 Innubique serenum  
 Majestate supercilî.

Vivax vernal hyems vertice , quæ nives  
 Cygneas supereret. nil tamen horridum  
 Lethi bruma reliquit ,

Quod priscum quateret decus.  
 Ipsam nunc etiam gratius exprimit ,  
 Ut cunque incubuit , pallor imaginem .  
 Sic tu s̄æpe solebas

Impallescere Palladi.

At non ex animo candida mens later  
 Interclusa gelu : vivida fulgurat ,  
 Quamvis claudat ahenus  
 Torpor sidera lumen.

Agnosco solidum pectus , & hospitam  
 Arcem consiliis ; quâ stabilem sibi  
 Æqui splendida cultrix

Virtus condidit exedram.

Et jam , dum recreas nunc mihi palpebras ,  
 Curis visus adhuc fervere , & Attricos  
 Eluctarier , inter

Curarum freta , vortices :

Ut quondam excubiis s̄æpe domesticis  
 Assuetus , sicuti finibus imperi ,

Lojolea regebas  
 Miti examina classico,  
 Optatus querulâ non semel Albulâ.  
 Aut cùm Palladij liminis arbiter  
 Gratis cuique parabas  
 Venalem sapientiam.  
 Tecum nam memini , tunc ego sedulus  
 Vestigare jugum Phocidos , in tuos  
 Ibam sponte labores  
 Per vestigia Cælitum  
 Quos tellus alvit sicana ; sed sacris  
 Vibratus radiis fulgor , & aureæ  
 Lucis nimbus euntem  
 Sic me terruit , ut procul  
 Hærerem attonitus . tu tamen integrâ  
 Præpollens acie luminis , obvios  
 Conabar in ignes  
 Inferre intrepidum caput.  
 Blandis interea nutibus inclyta  
 Monstrabas superum sceptrâ , & ianthinis  
 Nexas rite tiaris  
 Magni nominis infulas ;  
 Nec non purpureæ stemmata laureæ , &  
 Casti veris opes , lilia ; & igneas  
 In sublime volantum  
 Fractis nubibus orbitas  
 Mox , ne me pavidum desereres ; meas ,  
 Clamabas , agendum scande rotas : simul  
 Tecum vicimus auras ,  
 Atque omnem Cereris domum

Atque

## 116 LYRICORUM

Emensi , Siculâ labimur insulâ :  
 Te doctâ digiti cuspide cominus  
 Ostendente repertas  
     Exesâ nive montium ,  
 Fluviorumque toris , & nemorum jugis  
 Heroum latebras , Iustraque belluis  
     Formidata , tot olim  
     Sacrîs uvida fletibus  
 Hic nostris pariter naufraga lacrimis  
 Affulsit pietas , quæ locupletius  
     Dispensare coëgit  
     Imis oscula cautibus .  
 Quin , ut certa fides eloquio foret ,  
 Postquam Virgineas vidimus areas ,  
     Victorumque palæstras  
     Pulcro tanguine roscidas ;  
 E laurus tereti caudice surculum ,  
 Et ferrugineo vellimus è specu  
     Piëti fragmen achatae  
     Qua duxit maculam rosæ .  
 At nunc , PETRE , vagam quò celeras fugam ?  
 Me priscum comitem negligis ? ah fine  
     Te complectier Umbram ;  
     Ne planè rudis obsequi , aut  
 Ingratus videar . Sic foret ut tuis  
 Harerem pedibus sarcina pensilis ;  
     Dum trans cærula magnum  
     Tollis nubila verticem .

AD

## AD GRANADILLAM.

## ODE XVIII.

**I**ndici felix Cynosura veris,  
Innocens Christi patientis hæres,  
Huc ades nostros GRANADILLA segnis  
Visere campos.

Sat peregrinis latuisse solers  
Exulas hortis, metuisse credam  
Limen Europæ, simul ac profanæ  
Phocidos humor

Imbuit flores. Erycinus eheu  
Sanguis albentem vitiavit Idam,  
Et Dioneos Crocus inter eru-  
bescit amores.

**U**da Narcissi coma fabuloſo  
Mergitur fato. Clytie perennes  
Devoyet Phœbo capitis reclini  
Cespite flexus.

Proh pudor ! nostris vitiata Chloris  
Vernat in pratis, & adhuc moramur  
Floream ferro violare ab imo  
Caudice stirpem?

O furens illam Procyonis æstus  
Urat ! aut præceps Aquilo protervâ  
Sauciet brumâ, gelidoque condat  
Funere Floram!

Sat profanaris rediviva terris  
Attulit vernæ GRANADILLA pompæ,

Vir.

118 LYRICORUM

Virginis Nymphæ decus , & pudici  
Cura Favonî.

Illa nativis bene fulta fibris ,  
Lævis enodi calamo comantem  
Sustinet gazam , variâque prodit  
Iride fastum.

Ver Palæstinis gravidum querelis  
Educat risu. nec abest Amoris  
Saucii dextiâ pereunte pictum

Stemma Tonantis.

Turget hinc clavis , viridique telo  
Flos inhorrescit ; redimitus illinc  
Spiculis duros simulat comatâ

Cuspide vepres.

O mihi Hyblæis perarata chartis  
Fabra Divinæ Isiæ supellex ,  
Frondeo seu fers adamante tristis

Probra columnæ.

Sive serviles scuticas odoro  
Fasce suspendis , tenerumque CHRISTI  
Heu trucidati latus innocentia

Vere coërces ;

Ut tuis libare juvat cruentis  
Osculum gemmis , avidoque circum-  
ire complexu ! sat Amor locuple-

tabit Amantem ;

Si tegas nostros , GRANADILLA , crines :  
Aut ubi letho premar , è sepulchri  
Emices rimâ , cineri datura

Frondibus umbram.

PAN-

PANTHEON  
ETHNICORUM  
CHRISTIANÆ MILITIAE  
TUBA DEIECTUM.

*Sive,*

Idololatriæ cultūs Execratio.

O D E X I X .

A Ut non coērcet Tænarus æreis  
Plutona vinclis , aut humus intimum  
Luctamen indignata fractis  
Evomuit Phlegetonta fibris.  
Vetusca siccis secula faucibus  
Bibere Lethen. nèc pudor , aut metus  
Ab execratae fæcis haustu  
Detinuit , fatuâque ripâ.  
Omnis reclinem natio poplitem  
Curvavit Orco. Vix genus Isaci  
Memor Palæstini Tonantis  
Thura sacris adolevit aris.  
Lucina priscis culta puerperis;  
Pales bubulcis , Graia sequacibus  
Diana venantum catervis ;  
Funereis Libilitina tædis.  
Priapus hortis præfuit , uvidis  
Pomona sylvis ; cana Ceres satis;

Lyæus

## 120 LYRICORUM

Lyæus uvis , Flora pictis  
 Vere novo dominata campis.  
 Heu lora squamis imposuit Thetis ,  
 Saturnus hydris , nuda cycnis Venus ,  
 Regisque Dictæi curules  
 Fulva rotas agitavit ales :  
 Thyrso furentes Thyadas Evius .  
 Phlegram Medusâ Pallas , Atlanticum  
 Tridente Nereus , Castra Mavors  
 Fraxineâ temefecit hastâ .  
 Toris inussit jura Talassius ;  
 Fortuna fasces finxit , & eruit ;  
 Clauſitque , reclusitque centum  
 En̄ta seris sua templa Ianus .  
 Portenta Divûm ! queis modulabilera  
 Pœana Pindus vovit , & infulas  
 Stravere reges ; queis Caryſtos  
 Versicolor reparavit ædes .  
 Pejora Pluton suasit . Ichneumonem ,  
 Capramque Memphis , Medus acinacem ;  
 Syrus Dioneas volucres ,  
 Et Druydae coluere viscum .  
 Auëtum perenni flagitio scelus :  
 Sive immolandam fana puertiam ,  
 Seu flagitaverunt senili  
 Post epulas rubuisse venâ .  
 Placare nescit Leucas Apollinem ,  
 Ni tradat undis præcipitem virum .  
 Nec surgit Eurus ; ni reſecto  
 Corruat Iphigenia collo .

Hæc

## LIBER II. 121

Hæc purpuratis monstra tamen vetus  
 Propago vittis compfit ; & æmulo  
 Rubentis Auroræ pyropo  
 Sacrilegas satiavit aras.  
**Agrippa** fidus testis ; **Hymettio**  
**Cui** fabrefactum marmore **PANTHEON**  
 Ter visus hydrarum lacertis,  
 Et famulâ ter obisse circum  
**Cocytus** urnâ. Non scidit hanc humus  
**Molem** revulsis quassa Cerauniis:  
 Non ipse dejectus trisulcis  
 Enceladus labefecit astris.  
 At funeravit monstra Laconicis  
**Umbrata** saxis , ut semel audiit  
 Feralè stridentem metallo  
 Nazareum Gedeona , tellus.  
 Tum Dindymenæ , & Cybeleia  
 Tegi ruinis pignora vidimus.  
 Io triumphe ! tum momordit  
 Sanguineas Jovis aula glebas.  
**O** qui Gradivi nobilis infulam  
 Affectat hæres , trans Japonum Thetis  
 Hoc ære clangat : Sic relictos  
 Siqua Deos habet ora , franger.



F

MU-

## MURUS BABYLONIUS.

*Sive,*

Constantia munitus Sapientis  
Viri Animus.

## AD FLACCUM LODEGARIUM.

## ODE XX.

PAR Amphioniæ chely  
Non est, FLACCE, mihi barbitos; hæc tamè  
Ut ludum Zephyris dedit  
E ramis oleæ pendula ; Palladis  
Fato nescio quo calet,  
Et blandum modulis afflat Apollinem.  
Ne falsi reus arguar.

Affer plectra puer ; quò videar novus  
Amphion LODEGARIO.

Haud Thebas canimus ; si Babylonium  
Munimen Sapientiæ

Luctamur , satis est. Ludor ? an , Africis  
Ceu vulsi lapides jugis,

Pergunt ad Siculæ Fata sonum lyræ ?  
Huc ô currite fumeis

Ærumnæ scopolis. Vis patientiæ  
Imi cardinis artifex

Componet solidum. Nacta tenerimum  
Cæcā valle sui lutum

Mens putris , querulo turbine sternitur.  
Cur ad tristia palleat

Frontis Socratiæ ruga decentior ?

*Amitii*

Amitri nequeunt bona,

Quæ fors nulla dedit. Se locuples, suis  
Nescit mercibus exui,

Arcanam indocilis pauperiem pati.

Adversis animus ferox

Terret fata, gradu calcat, & æreas  
Insternit fabulo vices,

Quæ sensim coëant molis in aggerem.  
Jam jam Pallade saucius

In cautes abiit mœror, & ilias  
Fuscis lapsa Cerauniis

Sensit magnanimi verbera mallei.  
Inconclusa periculis,

Quamvis fessus Atlas pondere langueat,  
Mens est cauta Panætij.

Funes, tela, rotas, exilium, faces,  
Et quidquid Pbalaris jubet,

Lustrat non madido pumice luminum.  
Haud Phœbi coma palluit,

Quamvis barbaricis obruta spiculis.  
Nec summum Maleæ caput

Latratum pelagi vortice corruit.  
Infringi solidus nequit

Doctæ frontis apex. Clauditur æneæ  
Vi muniminis inscij

Fortunæ dubiis cedere præliis,  
Vel fractæ Stygis alveo

Huc audax silicem Sisyphus advehat;  
Quò sit firmior, hunc suis.

Clam Pallas lapidem mœnibus inferset.

**S T R E N A C A L E N D I S  
J A N U A R I I S P H I L A D E L P H O  
S T E L L A E O B L A T A .**

**I N F A N T I S scilicet D E I C U L T E R ,  
q u o e l a t a s s t i r p e s a n i m i  
r e f e c a r e t .**

**O D E X X I .**

**C U M coronarit radiis recentem  
Prima lux annum , violisque pictam  
Completur brumam; PHILADELPHE, nostro  
Pignus amoris**

**E x i g i s plectro. T u a cur iniquus  
Vota frustrabor? Pylades Oresti  
Obsequi parcer , fugietque totam im-  
pendere gazam?**

**U t scias nunquam cecidisse laxâ  
Pectoris rimâ ; tibi mitto carmen  
E t D E I C U N I S simul inferentem**

**V U L N E R A C U L T R U M .**

**Q u i d tibi pro sit , valeatque ; disces  
Nuper incisâ mihi mollioris  
Fraxini rugâ. Fover illa sacras**

**S e c t a Camœnas.**

**N e morer munus ; pretiosiores  
C a r m i n i s l e g e s , m o d u l a m e n , & v i m**

**M e**

Metiar nervis. Age, liberales  
Exere plausus.

Jussus arcanam coluisse mentis,  
STELLA, Corcyram, sine feriatus  
Langueat vomer; nec adunca frangant  
Sarcula glebas.

Hic vel exculto fruticantur arvo  
Liliis passim comites cicutæ:  
Ponè narcissum paliurus altam  
Projicit umbram:

Nec queunt velli. Vitiosa proles  
Pullulat sparsis rediviva fibris,  
Qua suo figat calamo pudicæ  
Pignora Floræ.

Est opus ferri resecantis ira  
Luridum gramen. Tumet hispidosø  
Carduus fastu? Generosus esto

Ruris in hydram.

Livor occultas alit usque lappas?  
Aut in affines tribulos cruenta  
Bilis armatur? Celer amputandam  
Decute sylvam.

Impigros CULTRI ferientis ictus  
Erubescendæ metuere stirpes:  
Nec semel sectas acuunt ijsdem  
Viribus hastas.

Sic Cytheream jugulata myrtus  
Flebit enervem, Paphiaque plagæ  
Vix potens; nullas per adulta trudet  
Germina flamas.

Proh lyræ fatum ! Volitare nostram  
 Suetus ad vocem , citaræque nutus ,  
 Sponte festinat GLADIUS , tuosque ef.  
 flagitat usus.

---

## FAVUS MELLEUS IN ORE PALÆSTINI LEONIS.

*Ex Jud. c. 14.*

Clementis sævitiae symbolum.

AD CHRISTIANOS PRINCIPES  
*Paræneticon.*

### O D E   XXII.

CUR erubescam præsidis Orphei  
 Dignatus œstro limina Cæsarum  
 Lustrare , lymphatasque regum  
 Fulminibus glaciare tadas ?  
 Valete vulgi compita spumeis  
 Attrita rixis. Altius alites  
 Attollo bigas. Hæret ostro  
 Fixa chelys , trabeisque mites  
 Inducit iras. Non ego terream  
 Aulæ secures , quas roseum velim  
 Inferre vulnus ? Cur eruentat ,  
 Ni sis idem panacea , ferrum ?

Ax.

Armata nunquid dextra Lycaonis  
 Est apta sceptro? Num temerarij  
 Vesana Mezentî voluptas  
 Nobilibus memoranda fastis?  
 Audite pulchri sanguinis infulæ,  
 Quæ gemma vestram comat adoream.  
 Audite. Mitescenis ultro  
 Dos animi nivem revinxit  
 Sidus tiaræ; quod sit amantium  
 Magnes Quiritum, quod pretiosius  
 Afflet serenum per tumultus,  
 Et nebulas popularis iræ.  
 Jussurus Hyblæ prætor apum favos.  
 Aculeatâ cuspide dexteram  
 Exarmat, illimique rostrum  
 Melle linit, dominosque nutus.  
 Sic Cæsar inter spuma Tethios  
 Armenta, Delphin felle caret: truces  
 Sublime sulcatus æquor  
 Debuerat renuisse squamas.  
 Siticulosas hinc ad Arionem  
 Deflexit aures. Est modulatinum.  
 Plectrique demulcentis arcanam  
 Impatiens gravis ira turbam  
 Pallens Orion si fatuum manu  
 Devolvat ensem, nubibus imminens  
 Fuligo cedet; proque densis  
 Grandinibus, pluer aura gemmis.  
 Saltem togatis regius iliis  
 Quiescat ensis: nec capulus tigrem

Ementiatur , vel recocto  
 Vipereas adamante spiras.  
**E**bet cruentam quippe chalybs sitim ,  
 Sensimque potis diffluet anguibus ,  
 Non absque vindictæ flagello  
 Immeritas populantis urbes.  
 Non tam Libyssas , quæ male rugiant ,  
 Potentiorum liminibus feras  
 Reor fugandas , quām forensi  
 Marmaricas ducis ore larvas.  
**F**rons nubis expers , quæque supercilii  
 Arcum venustam flectat in iridem ,  
 Decet Dynastas. Inde pulchras  
 Mollè vibret pharetrata regum  
 Pupilla flamas. Candida sospitat  
 Fortuna cives ; si facilis patet  
 Acceſſus aulæ , quā severus  
 Uncus abeft , Nemelisque plumbum .  
 Suum Pericles fixit Olympius  
 Tribunal astris , quod nec acinacem  
 Nudavit unquam , nec coēgit  
 Perſephonæ dare colla cives.  
**E**st officinis , credite , Bistonum  
 Recusa vox hæc degener , Oderint  
 Dum terreantur. Imperantum  
 Sævitiam decet esse mitem  
 Morbis medelam. Spicula destinat  
**A**lcon in anguem ; nec ferit anxius  
 Parens puellum viperinis  
 Implicitum sine lege nodis .

Secetur ulcus , ne putris integros  
Incestet artus humor ; at ocyus  
Adsit superfusura lenes  
Phillyridæ pia dextra succos.  
Quot nacta Diras vota Caligulae  
Unam petentis posse Quiritibus  
Conflare cervicem ; bipennis  
Ne rigidos iteraret iætus?  
Servare civem qui potuit suum,  
Hic præses esto. Codrus amantior  
Custos Athenarum , vel ipfis  
Debuerat dare jura sceptris.  
Paretur ultro lora remissius  
Diverberanti. Vult equus impiger  
Blandum coerceri , ferocit  
Ad scuticam , rigidosque morsus.  
Det mitigatis lina Favoniis  
Nauclerus aulæ , nox hyemalibus  
Si repat undis , ad propinquam  
Remigium cito trudat algam;  
Nec purpuratæ puppis aplustria  
Scatere monstris gaudeat : unicum at-  
tollat PALÆSTINUM LEONEM  
Cui patulo fluat Hybla rictu.



**ORACULUM DELPHICUM,  
NOSCE TE IPSUM.**

*Ex Dione Chrysost. & alijs.*

**AD SYMMACHUM PARDUM.**

**O D E   XXIII.**

**L**YCHNUM de tibi DELPHICUM,  
Majorem Cynicā, PARDE, lucernulā;  
Hac sub lege potissimum;  
Ne quāras alios ; seu caret silens  
Doctis Curia Tulliis,  
Seu suspireret honos bellicus inclytis  
Civem Scipiadis parem,  
Festinus rapido mergere Baltico.  
Ipse es Diogenes tui  
Quārendus , duce te, quolibet angulo, &  
Arcani cavea fori.  
Amīsus periit , qui latuit sibi.  
Num se Codrus inops brevi  
Metitur digito ? Num locupletium  
Æquat biga decempedam ?  
Rebus quisque suis , non , Epidaurius  
Ut serpens , vigil excubat,  
Talparum fatuā tactus inertia.  
Omnes pene simillimos  
Narciso peperit vena Philautiae.

Nam

Nam quis se videt , ut queat,  
     Me vidi luteam , dicere , farcinam ?  
**Q**uis non plus nimio tumet  
     Deceptus stolidæ laudis anhelitu ?  
**A**udi SYMMACHE , vult Sapor  
     Ad currum statui Cyllaron , ut petit  
**C**um Latoidos orbitâ ,  
     Et consanguineo sole propinquitas.  
**E**c craterे Jovis Nero  
     Mentitur Phrygium ducere Lesbium.  
**C**lausit vitrea Chosroem  
     Moles , quæ simulet Numinis ad suū  
**N**utum signa rotarier ,  
     Orbes circumagi , tempora dividi ,  
**I**mbres nutibus excuti ,  
     Et mugire fabris astra tonitruis.  
**S**ic , dum se tumidos agunt ,  
     Quid sint , nosse negant , mella beneficæ  
**P**otavere superbiæ  
     Turpantis niveæ mentis adoream.  
**Q**uot vix æquiparabiles  
     Pigris invalido lumine noctuis ,  
**C**ulti litibus ingenî ,  
     Decertant aquilis ? Quot sibi laureas  
**C**redunt implicitas comis ,  
     Quamvis calva gerant tempora Simiæ ?  
**T**hersites in Achillea  
     Festinat litoos. Rana loquax strepit  
**C**hium Zoilus in cycnum ,  
     Nemo se monitor lynceus excutit ,

Exploratque sagacius

Quàm sit vena sui plumbea nominis.  
Non , quidquid temere ferax

Votum trudit , erunt germina Gloriæ.  
Seu dicatur Isoctatis

Siren , Cæcilius ; sive clientium  
Phœbi signifer , Attalus ;

Ni conitetur meritum , turpiter alites  
Prosternent phaleras humi.

Nidum , PARDE , tuum cautus ama ; prius  
Plumas inspice , quàm voles :

Nec te fallat iter . Serpere tutius  
Antiquæ latebrâ domus ,

Quàm velle Icarium carpere tramitem.

VECTIGAL  
EUCHARISTICON  
AD ANGELUM VATIS CUSTODEM.

O D E XXIV.

PLumeā pollens per inane bigâ ,  
Dive , cui VATEM niveis regendum  
Credidit loris vigil excubantis

Cura Pronœæ ;

Ne , precor , buxi famularis œstrum  
Respuas ; noster tibi cunque seſe at-  
tollit in nubes modulatus , & ve-  
fania Cyrrhæ.

Nam,

Nam, meæ cur te sileam fugacis  
Præsidem vitæ, dubiisque magnum  
Rebus Alciden? Veto jam canoris,

Te duce, plectris

Otium; qui, cùm rudè vagiebam,  
Pensiles cœlo pluvias, & ignem  
Cautus arcebas, teneroque presulum

Pollice ferrum.

Crure firmato, bene suadus idem  
Dixeras. Parvam studiosus aram  
Extrus Divis, positisque figas  
Oscula ceris.

Tunde liberatâ pius usque, & usque  
Dexterâ pectus. Patuit cerafis  
Rima, quam nullus Phlegetontis unquam  
Clauerit horror.

Mitte depexis satiare turpem  
Crinibus luxum; tibi frons cruentis  
Horreat dumis. Nocitura flexo in

Flore Voluptas

Instruit casses, latitatque flavo  
Tortilis nodo. Fuge littus, eheu  
Littus obsessum magicâ profanæ  
Cypridis algâ.

Tutius ponti subeas latratum,  
Aut obarmatam scopulis Maleam  
Nulla demergit, nisi blanda Siren,

Scylla carinam.

Alter Argoâ sine querat alno  
Aureum Colchâ regione vellus:

Alter Auroræ lacrymas profundo e-  
vellat Erythrâ.

**T**e decet cultus viduatus omni  
Divitum gazâ , decet obsoleto  
Stragulo fastus , hyememque scissâ ar-  
cere lacernâ.

**S**urge : num torpet vigor , innocentia  
Ortus afflatus ? viden incubantem  
Urbium votis , fatuisque vulgi  
Legibus hydram ?

Ne repentino , cave , dedicatam  
Indolem stellis feriat veterno.  
Sistit ut nantes echeneis alto

Marmore proras .  
Sistit hæc plures , retrahitque secum  
Transfugas Divum gremio. Dolosam  
Ctede ; cum charæ genitricis hæret

Blanda papillis .  
Callidam dices ; quoties avito  
Cardini fletum ciet , aut inertes  
Texit ambages , patriâve mordet

Compede suras .  
Sibilo terret ? generosus ungui  
Obstruas aures. acenita fundit ;

Sume ; nam profunt , patientis amu-  
leta Tonantis.

Asperat dumis iter , aut tricensis  
Excubat spiris ? animosus infer  
Inter obsessum tribulis , & hirtâ

Gorgone callem

Præpetes plantas. mihi crede , quidquid  
Sponte calcabis , Rosa fiet , & quæ  
Flores promat fruticante gazâ

Gleba pyropos.

Exuas ergo trepidantis arcem  
Ingeni larvis, adero periclis  
Sedulus custos , laterique non sper-  
nendus Orestes.

Hæc rudi quondam puero canebas.  
Vix tuis æquo tamen obsecutus  
Parui jussis , monitisque vultu:

Cum mihi visus  
Vitream frangi , liquidamque labi  
Indolem mentis solidasse : mox ad  
Castra LOJOLÆ rapuisse primam in  
Bella juventam.

Hic cataphractus . fideique tutus  
Parmulâ miles ; per ahena ducor  
Signa Virtutum. Metanœa cultrix  
Sera pudoris

Excipit flentem , pluvioque totam  
Obruit luætu Styga. mox Tonantis  
Inter amplexus rutilo revinxit

Torque clientem.

Lapsa tum fulvo chelys axe patvura  
Reddidit Vatem. mea nec fefellit  
Fata testudo ; videor pudicam

Scandere Pimplam,

Et Palæstinis violare vinclis  
Cerbero fauces. Mihi te patrono,

Tu-

Tutus errantes ; ubicunque versor,  
Infero gressus.

Aetna descendat : cohibebis ignes.  
Torqueat fulmen furiale Mavors :  
Præliaturis properata franges  
Pila lacertis.

Provocet nimbos Jovis ira : duces  
Iridem vultu. Tumefacta Cauris  
Latret , & raucis fremat usque Doris  
septa Caphareis :

Fida flagrabis Cynosura fluetus  
Inter , & pulsas Aquilone syrtes,  
Quin & arcanis quoque justa trades  
Fræna procellis.

Nam vel iratum cohibus , vel atris  
Nube mœroris tetricum venusto  
Oris occursu relevas , & albâ  
Fronte serenas.

Plura quid poscam , nisi quod , feretro  
Cum fatigatam , laceramque rimis  
Liquero cymbam , redivivus addar  
Navita stellis :

Tum coronabis mihi , Dive , canos  
Laureâ crines. Patiere Tiphis  
Interim pingi , sociusque nostræ  
Puppis Achates.

):( o ):(

MO.

## MONITORIUM FULMEN.

*Ex Senec. lib. 2. nat. quest. cap. 39.*

*Sive,*

Excitatus ab alienis cladibus ad  
Pietatem Animus.

AD ALBERTUM TUSCUM.

O D E XXV.

QUÆ sunt missilium nescia fulminum  
Phocarum è spoliis cingula baltheo  
Frustra, FUSCE, paras. qui socialibus  
Stipatur vitiis, Acroceraunia  
Gestat multi fidâ verticis areâ.  
Non, Tusco Autolemus vorrice si diu  
Mergat cæsariem, Numinis igneam  
Vitabit pharetram. Pervigil undique  
Occursat Nemesis, cui latebræ dolus  
Iratas refugit ludere palpebras.  
Tranat sæpe Thetin pœna nocentium  
Demersura nefas : hinc tumulum struit  
Leandro liquidi gurgite marmoris.  
Nunc Bacchi Samiâ tortilis amphora  
Inserpit Scytale. sensit Anacreon  
Spirarum laqueos, vindice faucibus

Ob.

Obstructis acino. Dumque sua tumet  
 Chilon lætitia , palluit Æacum.  
 Non unus cedrini sub laquearibus  
 Suspensam fragili vimine cuspidem  
 Damocles metuit. Quisque domesticis  
 Pallet suppliciis : nec Capitolio  
 Si plausum rapiat , fulmina mollet.  
 Quæ fovit Latios curia Cæsares .  
 Hos ferro minuit. rara Quiritium  
 Servant legitimum vellera muricem.  
 Condit palma cruces ; si scelus inclytis  
 Nudavit foliis. Colchiacos idem  
 Succos Attalicâ miscuit hydria.  
 Quo se cunque rotat flagitium . sequax  
 Hinc Ætna in piceum volvitur Adriam :  
 Illine sylva suas armat aheneis  
 Cupresius jaculis , & salebras feris :  
 Imis mugit humus faucia vallibus ,  
 Et fessius dubio nutat Atlas globo.  
 Auditris monitus disce periculis :  
 Ne serò sapias. Fervida censuit  
 Olim posse Gothus missilibus procul  
 Averti jaculis fulmina. Fulmina ,  
 Et quidquid pharetrâ fert Nemesis suâ ,  
 Eludes , Pietas innocuam comis  
 Si det forte tuis serpere lauream.



MAGNES

## MAGNES LYRICUS.

**Q**ui MONOMACHORUM GLADIUM  
ad quæstionem rapiat,  
**N**e tot illius illatæ Urbibus clades,  
ac vitia delitescant.

## ODE XXVI.

**Q**UO mitioris flamine barbiti  
Revello Marti fulmen ? ad osculum  
Lyraque , concentusque præceps  
Penè ruit , teneroque morsu  
**E**nfsis pependit dulcè sonantibus  
**A**d plectræ nervis. Nunc adamantinis  
Descende valvis ô nocentem  
Diva ferox cruciare vinclis ,  
Flagrisque , Ferri impune volubilis  
**A**stræa cladem ; sicque velis , uti  
Quondam Tolosanum tribunal  
Sacrilego vel in ense justas  
**E**xplevit iras , digladiantium  
Punire sicam : quò pudeat magis  
Patrasse tot rixas ; & haustam  
Colluviem furiarum utrique  
**P**ræpandat orbi. Proh Nemesis probrum !  
**L**ictor moratur fulmina verborum ?  
O perge jampridem expetitis  
Innocuus furor esse pœnis.

Tor.

## 140 LYRICORUM

Torquendus est nunc ultior acinaces;  
 Extorqueatur donec iners pondor  
     Tristis metalli, seque rubris  
     Poeniteat maduisse rivis.  
 Num ludor? ohe! tinnulus in meas  
 Irrupit aures plangor. aheneis  
     Plerumque venis molliorem  
     Elicuit Metanœa fletum.  
 Jamque execratum cuique nefas chalybs  
 Inexpiatuſ promere cogitur;  
     Sic verba distingueſt luctuſ,  
     Ad citharæ Latialis iustum.  
 Satelles iræ, turpe ruentium  
 In bella vindex arbiter, aurei  
     Bipennis ævi; luctuosa  
     Nobilium laniena legum,  
 Quid heu fatebor? quidve loquar miser?  
 Me, me ipſe prodam? me scelerum ducem.  
     Me cuncta terrarum prementem  
     Excidiis Phaethonta jaetem?  
 Ab comminutis tutius artibus  
 Me fata solvant; me vel hiantibus  
     Immane fibris in vetuſtas  
     Trudat humus tremefacta cunas.  
 Illic profundo mergerer otio,  
 Dedisceremque explore furentium  
     Certamen iratum, & cruentam  
     Sandapilis onerare Lethen.  
 Verum pudendas nescio qui veter  
 Silere fraudes. Urgeor; urgeor

Ad

## LIBER II.

141

Ad flagra responsurus. Huc ô  
Dedecorum properate cœtus,  
Fulcite patrem. Novi ego singulis  
Aptare labem nominis, & rudi  
Opprobriorum penicillo  
Cuique suam maculare frontem.  
Olim decoram gessimus indolem,  
Sensimque venis ; cum Cerealibus  
Devotus arvis , consularis  
Vomer eram ; famulumve Cyri  
Rastrum viretis , aut Mæcotico  
Falx grata Baccho. Dum mihi nescia  
Hurnus cruentari , Gradiuum  
Triticeis simulabat hastis ,  
Culmisque frugum. nec deerat crux  
Effusus uvis : visa ubi Massico  
Fervere conflictu , & Falernis  
Præla diu rubrisse spumis,  
His me fruentem vidit ab igneis ,  
Torvumque risit Mulciber ætriis ;  
Donec liquefactis coëgit  
Gorgonas incubuisse venis.  
Miscens ruinas , nec reparabilis  
Ictum Megæræ , & prodigialium  
Tristem cometarum ruborem , &  
Fulmineæ grave pondus Ætnæ :  
Ergo minacem indultus imaginem ,  
Machæra Graiis , sica Quiritibus ,  
Cateia Germanis , & atrox  
Quæ Latiæ tonuero voces

Ap-

Appellor ensis. Me fatuis Scythes  
 Dignatur aris. Me Pbaros , & suo  
     Lacon obarmatus Lycurgo  
         Dalmatico rubefecit auro.  
 Me sumptuoso pendula baltheo  
 Vagina passim fibulat , Indicis  
     Admorsa gemmis , feriatum  
         Nulla tamen sinit umbra Ferrum.  
 Nam s̄æpe spiras nactus in intimos  
 Illabor artus ; spectraque gloriae,  
     Læsique vibices honoris  
         Objicio metuendus ulti;  
 Siticulosum donec inæstuet  
 In probra votum sanguinis. Hinc sequax  
     Tumultus , armatæque Diræ,  
         Et piceo Libitina curru.  
 Dijudicatis Marte calumniis  
 Contaminantur secula : nemini  
     Pepercit hæc unquam libido,  
         Cui pavidum latus ipse texi  
 Mars si puellis ilia ludicris  
 Præcingit armis ; langueo parvula  
     Eductus è thecā. Sed illis  
         Vipereum nocitus idem  
 Inspiro sensim virus ; idoneas  
 Quò fugat iras firma ; crepundiis  
     Ut cessit , & castis parentum  
         Consiliis valedixit , ætas.  
 Intaminatus labe forem , meas  
 Rubigo vires si taceret : tamea

De-

Detergor usque : destinatâ  
Cote novam reparare semper  
Jussus juventam , fulgeo. Thracias  
Saltem phalangas cuspide figerein.  
Heu civis in civem rotatur  
Degeneres luiturus iras.  
Jam nil Oresti , nil Pylades suo  
Credit sodali. jura veterrima  
Sodalitatis diluuntur,  
Indomitam itimulante bilem  
Rumoris cœstro quâ duce , tristibus  
Conviviorum fercula præliis  
Miscentur , impelluntque Bacchum.  
Sanguineis fluitare rivis.  
Quid multa ? fratem frater , & impius  
Quandoque patrem natus aheneo  
Irritat occursu ? nec atrox  
Attonito cadit ira ferro.  
Nunc pulsa retro volvite lucidas  
O astra bigas. nunc Lapitheias  
Visure mensas , trade Parcis  
Phœbe comam , refugisque sistas  
Æthona loris. Impia Ferreo  
Bibunt metallo lustra proterviam ,  
Ubique naturæ revulsis  
Legibus , imperioque Divum  
Reflagitantum non semel ebriis  
Cruore vindex supplicium reis  
Bacchatur extricata nodis  
Improbitas : quatit arma Pluton

Ergone vivam tot furialium  
 Seges malorum , Tisiphones flagrum ,  
 Choragus Umbrarum , & timendus  
 Innocui populator ævi ?  
 Me , me Tonantis solvite fulmina :  
 Et , ut scelestus tantum ego denoter ,  
 Vagina , quæ peccare nescit .  
 Haud trifido feriatur igni .  
 Hæc fatus ENSIS , visus ab uividâ  
 Fudisse Ferri cuspide lacrymas ,  
 Non expiaturas nocentum ,  
 Quas saturo dedit ære , clades .

**TESSERÆ HOSPITALES  
PEREGRINANTIA  
SUB SIGNO COLUMBÆ.**

*Sive,*

Morum Innocentia.

**A D LUDOVICUM SAVIANUM**  
 nonnullas Europæ regiones pera-  
 graturum. Propempticon.

**O D E   XXVII.**

**P**Rome candidum meo  
 Omen sodali , Phœbe , SALVIANO ,  
 Patriâ liburnicam  
 Dum solvit algâ , strenuus timendæ

Do-

## LIBER II.

145

Doridos pericula,

Terrasque ad usque proximos Ibero  
Transilire margines.

Adhuc moraris excubante flammâ,  
Septies , & amplius

Ercta Sicanos irrigare clivos?  
Distines adhuc pigram

Tero propinquâ fluminis COLUMBAM,  
Quæ rudem suo regat

Ratem volatu , plumeâque pulchram  
Irin exprimat nive?

Meretur omen , cùm sit in Minervæ  
Fluctibus Pharos sui,

Et eruditâ naviget phaselô.  
Quin Thethin supervolat

Torquatus ales , cùm profana rerum  
Lacteo premit pede;

Solique fixus indolem coruscis  
Induit monilibus ,

Bibitque lucis innocentis ignem.  
Sic redux ab aureâ ,

Nitore morum dives , officinâ  
Italum petet latus;

Visaque Româ , Mincioque , sister  
Flebilem Pado fugam;

Tam dulcè pascet Insubrum stuporem.  
Ite , confragas solo

Æquate rupes , liberumque ferro  
Pulchra Najadum cohors

Mollite callem Mollibus coronat

G

Al-

## 146 LYRICORUM

Alpium caput rosis,  
Arctoque visæ nunciat salutem.  
Jamque Teutonum gelu,  
Rhenoque mergit orbitam Quirinis  
Ebrjiam leporibus;  
Auroque suadet fluctuare ripam.  
Jam Druentiaæ fores  
Ingressus , innocentiaæ fruendas  
Liliis dedit nives.  
Hinc expetitos ductus ad supremæ  
Cardines Iberiaæ,  
Fausto notabit unione soles ;  
Quos rubentibus crocis,  
Horæque fulvis funerent procellis.  
Nam suæ potissimum  
Virtutis hæres explicabit inter  
Gloriaæ Favonios  
Sublimiores SALVIANUS alas ;  
Donec inferat comam ;  
Cœptumque figat infulis volatum.  
Hæc reversa regiis  
Hispaniarum finibus carina  
Nunciabit. Augoror  
Futura Vates , sit fides Camœnæ.  
Cultus insolens vitæ  
Votis PEREGRINANTUM HOSPITALIS  
T E S S E R A E vices agit,  
Simulque pennæ per corusca laudum  
Evagantis atria,  
Quo pulcra Virtus propulit secures.

Fau-

Faustitatis aureo  
 Temone fertur (Sic dedere fata)  
**Quisquis arbiter sui**  
 Expressit albis moribus **COLUMBAM.**

---

**A S T R O R U M**  
**T R I U M P A L I S P O M P A,**  
**Cùm in Cœlum D E I G E N I T R I X**  
**V I R G O c o m m i g r a r e t .**

**D I T H Y R A M B U S .**

**O D E   X X V I I I .**

**S**Urge pluma , quæ nivalem  
 Reddis alitem , revinctum  
 Torque Virginis clientem.  
 Totus emicat medullis ,  
 Qui per auras ad volandum ,  
 Perque Divum regna vatem mentis ardor  
 provocat.  
 Ite fastus fabulosam  
 Mentientes Hippocrenen.  
 Me coruscis picta gemmis  
 Phocis afflat , quæ per ignes  
 Diffluentem trudit Hyblam ,  
 Laetosque trudit amnes astris **U r n a co-**  
**c o l o r .**

Vatis Orpheos refixa  
 Lucidis Testudo valvis  
 Sponte decidit , meumque  
 Penè pollicem laceſſit.

Durus est qui tot triumphis  
 Pervicaci feriatus conquiescat otio.

Ergo , nubium profundoſ  
 Dum ſupervolat reſeffuſ  
 Fulta Cœlitum nivofis  
 Diva bigis , gratulantem  
 Siderum canamus arcem ,

Virginique ludibundiſ obviam ſpectaculi.

Ter volubili rotatu

Pulſus æther , & ſonoro  
 Orbis orbe circumactuſ  
 Hinc , & hinc plauſu pyropis  
 Geſtientibus , fatigat

Mille fulgidam Tonantis Regiā concentibus.

Ad ſuave luſcitatum

Molis aureæ fragorem ,  
 Dux choreæ purpuratam  
 Virgo dirigit catervam.  
 Dumque ludit inter ignes

Duplicatiſ intonata mulcet aulam gaudiis.

Comit interim jubatas

Africanus fulgor iras :  
 Qui volantis ad curulem

Orbitam Divæ reclines  
 Curvat armos , & rubentem

Urget aſtra poſt quadrigæ pulverē rugitibus.

Mitē

Mitè Sirium latrantem  
Præda fugit , ut retorsit  
Innocenti felle morsus  
Ad volucris signa rheðæ ;  
Quam trisulcis Hydra linguis,  
Quam jocosa concitatis Ursâ lambit osculis.

Hic Orion mitigatus  
Fulgurantem stravit ensem :  
Proque turbinum procellâ,  
Emicantem fudit imbre.

Hic pharetram laureato  
Vere Chiron , & minaces sepsit arcus iride.

Fregit invidi pudoris ,  
Quæ fororum claudit agmen ,  
Vincla Pleias : jamque densam  
Post Atlantidum choream  
Dum sereno plaudit ore ,

Diluendas luctuoso suadet igni lacrymas .  
Dives obsequi Bootes  
Plaustra destinat trophæis ;  
Et coruscas è capillis  
Jufa Gnossias Virago  
Fabularier coronas ,

Imminentibus sequaces fert triumphis infulas .  
At propinqui stemma veris ,  
Mugienti luce Taurus  
Chloridos vocat labores ,  
Perque siderum novales  
Purpurantibus rosetis ,

Et pruinis liliorum dulcè pingit aream .

150 LYRICORUM

Ludor ? An liquentis auri  
Scena pandit Amphitriten,  
Quà fugaci mille lusus  
Orbe Delphin elaborat,  
Quà carinam mergit Argo

Proque linteis vetustum vellus Austris ex-  
plicat?

Huic smaragdinæ periculum

Sponte mollisunt Maleæ :

Huic coralliis onustum

Sternit Æolus tridentem.

Jamque fulvos inter æstus

Pulchra, pinus ad beatas rostra flexit in-  
sulas.

Ite navitæ (propinquâ

Fronte littorum canorus

Auspiciatur vota Cygnus)

Ite siderum propago;

Virgo jam Tonantis ostro

Mollè fulta conquievit, osculata filium.

Ite, lucidam capillis

Virginibus tiaram

Implicate. Nympha vestros

Poscit ignes. Jam momordit

Luna suras : perque vultus ;

Perque palpebras cucurrit lucis amne De-  
lius

Solis interim quadrigæ

Lora Faustitas gubernat,

Quæ Phlegontis inquietâ

Nc-

Nectar ungula propinat.

Quæque fervidis Eoi

Terret eminus cometas igneos hinnitibus.

Visa divitis metalli

Ire flavis lustra venis;

Et liquentium leporum

Fluctuare risus alveo.

Quin voluptas æstuantum

In profundo gaudiorum sospes est At-  
lantico.

Plura cominus tueri

Flammeo vator sereno.

Claude Vati , Diva , rivos.

Molliora plectra tangam .

Cum perennes explicabo

Cygnus alas , pulchrioris ad Caystri mar-  
ginem.

